

ra artificia? Quam varii inhabitatores? Duces, reges, subditi, etc. Et tamen hæc habitatio ad breve solum tempus pro peregrinis ædificata est: illis enim recedentibus tota dissolvitur, et in cinerem redigetur in novissimo die, uti sacræ literæ docent, quia nimirum cum omni splendore suo non est digna, ut cœli cives eam, non dico inhabitent, sed vel oculis usurpent. Si enim hæc mundi machina faceret ad recreandos aliquo modo beatos, cur eam vastaret Deus et in favillam redigeret? Quæso vos, si princeps alicui domino ad se venturo per mare aut fluvium præpararet navim ornatissimam, plurimis cameris affabre factis, picturis et omnis generis utensilibus, tam quæ ad delectationem, quam quæ ad sustentationem pertinent, instructissima, ut ea vel per unum diem veheretur, et postmodum navis tota destrueretur: quis non inde colligeret ejusmodi dominum a principe in proprio palatio honorificentissime tractandum? S. Porphyrius Gazæorum episcopus cum aliquando Theodosii junioris imperatoris infantem ingenti cum pompa ad sacrum baptismatis fontem deduci cernebat: *Nos* (inquit vitæ ejus scriptor) *mirati tantam gloriam; admirantibus autem dicebat Sanctus Porphyrius: Si ea, quæ paulo post evanescent tantum gloriæ splendorem habent, quantum habitura sunt cœlestia, quæ parata sunt sanctis et electis Dei?* Apud Sur. tom. I. in vita. Quapropter non immerito Sanctus Paulus omnia sublunaria in comparatione cœlestium: *Arbitratus est ut stercora.* Nimirum sicut principes delectantur tantum gravioribus, ut venationibus, hastiludiis, etc. non nucibus aut pila, quibus delectantur pueri: ita sancti viri et angeli, quibus cum Deo et divinis tantum est commercium, terrena omnia vilipendunt, nec aspicere dignantur, sed infinita tantum pulchritudine capiuntur et oblectantur, quemadmodum ipse Deus. Mercator, qui pretiosissimas merces habet, solet exponere præ foribus aliquas obsoletas et viles, non ut emantur, sed ut prætereuntes videant eum habere ejusmodi merces venales: empturo profert longe recentiores et præstantiores. Si cum Deus proponit nobis bona terrena, non proponit ut ea emamus, sed ut inde arguamus, quales in penetrabilibus suis merces habeat nobis offerendas.

VI. Ostendunt etiam reprobi, qui in hoc mundo magna cum dignitate, gloria et felicitate degunt. Nero præter nefarium parricidium et alia innumera flagitia commissa primus imperatorum Christianos vehementissime est persecutus, usque ad interuersionem gloriosissimorum apostolorum Petri et Pauli, Decius, Diocletianus Maximianus, Maxentius cæterique veræ religionis hos-

tes, quid non in Deum Deique cultores Christianos machinati fuerunt? Julianus apostata ex tonsurato clerico, religionis christianæ desertor et acerbissimus persecutor, magicis insuper artibus deditus fuit: Valens hæreticus pestilentissimus. Et hi tamen omnes cum ex professo Deum impugnarent, a Deo donati sunt immensis opibus, honore, gloria, splendore, deliciis, ut nihil deesset, quominus vitam agerent suavitatis, dignitatis et voluptatis plenissimam. Imperaverunt orbi, subjectos sibi habuerunt populos ac reges, ad eorum nutum omnia gerebantur. Et quid optare posses in hac vita, quod illis non fuerit concessum? Sed hinc attolle mentem ad alia. Si enim tanta largitus est hostibus, persecutoribus, improbis, flagitiosis hominibus, quæ et quanta putas præparasse Deum diligentibus se filiis charissimis? Dic enim, si reginam lustraturus splendidissimam, et jam jam ingressus videres in atrio humilem in pariete januam, et interrogares, quid hic loci esset; ductor vero responderet, nihil hic videndum, carcerem enim esse, quo victi custodirentur ad supplicium; tu vero instares et ingredi omnino velles; ingressus vero cerneres inibi regias aulas, palæstras, hortos, fluvios, omnia auro, argento, et serico rutilantia, silvas, venationes et piscationes, homines ridentes, ludentes, convivantes, ingenti pompa et comitatu, etc. nonne diceres te deceptum, cum audisti carcerem hic esse? Sed si adhuc a viro fide digno audires: Verum hic carcer est, nam reprobi tantum hic custodiuntur, et hinc unus post alterum ad supplicium educitur; quæ vero visu digna sunt, non hic, sed illic in superiori domo sunt, ibi omnia regalia videbis: nonne tunc dicturus esses: Proh! si hic locus carcer est, qualis erit regia? Quid hic mundus aliud nisi carcer reproborum, unde alter post alterum educitur ad gehennam? Et si splendet ita carcer, quomodo splendet regia aulicorum Dei? Sanctus Fulgentius visa aliquando Romanæ urbis, cum adhuc in pristino flore esset, magnificentia, ad collegas versus in hæc verba prorupit: Quam speciosa esse potest Hierusalem cœlestis, si ita fulget Roma terrestris? Et si in hoc secundo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, quænam præstabitur sanctis diligentibus veritatem? apud Sur. tom. I. in vita. Simili modo argumentatus est David, Ps. LXXII. cum ait: *Quam bonus Israel Deus, qui recto sunt corde!* Sed unde hoc colligis? Ex impiorum prosperitate; quia zelavi super iniquos, inquit: *Pacem peccatorum videns.* Unde Aug. lib. XXII. de civit. c. XXIV. ait: *Quid dabit iis, quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit eis, quos prædestinavit ad mortem?*

VII. Testantur id nobis inferi, ac primo damnati. Si enim Dei inimicis, qui a salute aberraverunt, tam calamitosus debetur inferorum locus, jure debetur Dei amicissimis felicissimus apud superos. Quantam enim peccatum meretur calamitatem, tantam amor Dei meretur felicitatem; ergo si inferis debentur tenebræ, superis debetur lux; si inferis captivitas et vincula, superis libertas; si inferis societas dæmonis, superis societas angelorum; si inferis vermis rodens, superis pax et quies; si inferis ignis urens, superis voluptas; si inferis fletus et stridor dentium, superis gaudium et risus; si inferis dorsum Dei, superis Dei facies. juxta id Jer. XVIII. *Dorsum et non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* Confirmatur hoc ex S. Jacobo dicente, cap. II. *Misericordia superexcelsat judicium,* id est, vincit judicium. Unde theologorum placitum, Deum præmiare ultra condignum, punire citra condignum. Si ergo tanta est inferorum calamitas, major erit superiorum felicitas.

Secundo, ipsimet dæmones. Refert enim Thomas Cantiprat. l. II. c. LVII. n. LXVII. rogatum aliquando dæmonem, quid pati vellet, ut sibi ad visionem aditus pateret, dixisse se paratum esse tormenta omnia, quibus æternis ignibus destinati cruciantur, sive ii dæmones sint, sive homines, in se unum congesta usque in extremum judicii diem perpeti, modo Dei videndi vel brevissimo tempore potestas fiat. Cæsarius item, lib. V. cap. X. testatur se Coloniam in ecclesia B. Petri præsentem audisse, spiritum nequam de suo ad speratam gloriam reditu interrogatum respondisse: « Si columna quædam ferrea eaque ignita novaculis acutisque calamis undequaque instructa, atque a terra ad cælum usque pertingens staret: ego corpus humanum nactus, in eam insilire volvi ac revolve non formidarem reperemque laniandum, qua ascensu qua descensu, et perpetuo ad finem usque sæculi extremum memet in illas acies induerem, dummodo reditus ad eum statum a quo excidi spes aliqua affulgeret. » Hæc ille. Et tamen in primo illo statu nondum beatus erat. Sed nimirum caveret omnino deinceps, ne a gloria excideret, et deinde quæreret, non per ambitionem, sed per humilitatem, locum inter angelos, vel etiam super illos. Hoc ergo cum jam non illi, sed nobis datur, nos illius exemplo prudentiores, consulamus nobis et ad propositum nobis bravium alacriter contendamus.

Imitemur, quæso, evangelicum negotiatorem et postquam invenimus pretiosam margaritam, et præstantiam ejus intelleximus, demus quæso fluxa, vana et peritura bona omnia pro illa.

Quam felices qui ita sapiunt, quod nobis donet Deus.

CONCIO III

GAUDIA BEATORUM.

I. Gaudium intellectus. — II. Gaudium voluntatis. — III. Gaudium memoriæ. — IV. Gaudium oculorum. — V. Gaudium aurium. — VI. Gaudium cæterorum sensuum.

THEMA.

Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Matth. V.

Ita fere omnes natura comparati sumus, ut voluptate potius trahamur, quam a quo alio bono. Hinc enim ad prophetas dicunt illi apud Isai. cap. XXX. *Loquimini nobis placentia.* Quando igitur, auditores, jucunda potius quam tristia, gaudia quam mœrores, audire vobis placet. Ecce vobis hodie lætissimum de cælo nuntium, quod ore suo deprompsit Christus: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Invitami enim hodie ab universo beatorum agmine ad paradysum voluptatis, ad nuptias Filii Dei, ad cœnam Agni, ad gaudium Domini. Omnibus his titulis decoratur regio cœli, vocatur *paradisus*, Luc. XXIII. *Hodie mecum eris in paradiso.* Quid autem paradysus, nisi hortus voluptatis et deliciarum? Gen. II. § XCIII. Vocatur *nuptiæ*, Matth. XXII. et XXV. Quid autem nuptiæ, nisi festum gaudiis et voluptatibus dicatum? Vocatur *cœna magna*, Luc. XIV. et XXII. Quid autem in convivio magno, nisi cupiditatis et deliciae? Nisi musica et hilaritas? Vocatur *gaudium Domini*, Matth. XXV. *Intra in gaudium Domini.* Quis autem tristitiæ locus esse potest, ubi gaudio ambimur, gaudio includimur? Quæ cum ita sint, relinquamus hæc infirma et puerilia, quæ offert mundus gaudia, ad superna contendamus et (quemadmodum orat Ecclesia): *Ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.* Ea vero nunc ut aliqua saltem ratione possimus delibare, rogemus omnes sanctos.

I. Gaudium est intellectus cum vident Deum: *Facie ad faciem*, uti loquitur apostolus, I. Cor. XIII. quasi dicat: Non per figuras et ænigmata, non per speculum et abstractive, quomodo eum nos hic cognoscimus, sed in seipso clare et intuitive: *Sicuti est*, ut ait S. Joan. epistola I. c. III. Tria requirit delectatio, quæ percipitur ex cognitione, secundum D. Thomam, II. II. q. XIII. a. V. potentiam intelligentem, unio objecti cum potentia;

etiam quanto potentia est aptior ad cognoscendum, et objectum nobilissimum et unio magis intima, tanto major quoque percipitur delectatio. Jam vero intelligentia beatorum est nobilissima et perspicacissima, utpote lumine gloriæ adjuta, roborata et elevata; veluti tubo seu dioptra quædam perspectiva cujus ope intueri lucidissimum illum solem potest, quem aliqui multo minus, quam nos solem in meridie, contemplari possent.

Deinde, objectum est altissimum et nobilissimum non modo excedens ea, quæ sensibus usurpare, sed ea etiam, quæ mente comprehendere et nobis imaginari possumus, quia est infinitum et complectitur omnia bona, quæcumque excogitari et desiderari possunt. *Edige tibi de mundo et rebus sublunariis quæcumque oculis placent, nihil adhuc vidisti, respectu eorum, quæ in Deo sunt et cernuntur a beatis; anne majorem in mundo delectationem vix habere posses, quam si omnia perambulare et pervestigare posses quæ in eo sunt, v. g. si gemmas et metalla omnia, quæ sub terra latent; si pisces et monstra marina omnia, quæ in aquis natant; si homines et nationes omnes, eorum mores, vestitum, politiam, artificia, urbes, palatia, hortos, navigationes, itinera, commercia, ludos, spectacula, jumenta, feras toto orbe discurrentes; si aves sublimes volantes; si meteora; si colorum compositionem, structuram, ordinem, cursum siderum, splendorem, vires, magnitudinem, etc? Quanta delectatio foret, omnia hæc cernere præsertim simul et uno obtutu? Sane si quem, v. g. Christophorum Columbum, qui totum circumnavigavit orbem, mira narrantem audiremus de exteris nationibus, satiari vix possemus. Experimur hoc, cum in libris miras orbis descriptiones vel historias legimus. Magis adhuc recrearemur, si ad vivum omnia depicta cerneremus, multo vero maxime, si omnia ea oculis usurparemus, tangeremus, audiremus. Sed nihil adhuc sunt ista respectu eorum, quæ in cælo sunt, v. g. respectu pulchritudinis, quæ nitet cælum empyreum, angeli, beati, Deipara, Christus, Deus, in quo præter attributa, mysteria, aliaque stupenda ejus opera omnia prædicta longe nobiliori ratione iisque longe plura, imo inexhausta continentur bona, ita ut in Deo, veluti in vastissimo quodam mundo beati peregrinentur in omnem æternitatem, nova miracula et spectacula deprehendentes, quemadmodum judicatur, Psalm. XIV. ubi dicitur: *Domine, quis peregrinabitur (ita enim ex Hebræo textu vertunt aliqui) in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? (cælo videlicet). Denique, unio intelligentiæ cum Deo viso intima est, ita ut mens Deo toto immer-**

gatur ab eoque penetratur velut mari spongia, oceano immersa, adeoque in Deum intret et quodammodo transeat, alia plus, alia minus, pro magnitudine luminis gloriæ, id quod est intrare in gaudium Domini, juxta Christi sententiam, Matth. XXV.

II. In voluntate, in qua propter voluptatem, quæ ex visione Dei in eam profluit, tria sunt, quæ ipsa maxima gaudia pariunt. Primum, est amor Dei et proximi. Qui enim ea, quæ amat, pulcherrima et optima esse credit, eorum præsentia et aspectu summe lætatur, absentia summetristatur. Sane parentes liberos suos alienis omnibus præferunt, licet revera cæteris longe sint deformiores, stupidiores, immodestiores. Similiter, qui amore amici captus est. Atqui beati Deum et sanctos omnes ardentissime semper amant, nec quos solum existimant esse pulcherrimos, optimos, sapientissimos, nobilissimos: sed quos revera tales esse sciunt, deprehendunt, et a quibus nunquam se divellendos esse norunt: sicut e contra ingens damnatorum pœna est versari cum dæmonibus sibi infensissimis, et a quibus mille modis se circumventos esse sciunt damnati.

Qualis erit beatorum exultatio, videre solemnitates et triumphos qui quotidie celebrantur adventibus novis fratribus, qui devicto mundo et peracto suo peregrinationis cursu ad coronas evocantur? Quale gaudium erit videre sedes vacuas novis incolis repleri? Muros Jerusalem a Lucifero destructos continuo restaurari? Toto mundo peregrinos, fratres, parentes, liberos, amicos spoliis onustos quotidie adventare?

Alterum, est quies incomparabilis et pax, quæ exsuperat omnem sensum, satietasque perfecta, quæ omni ex parte beatos contentos facit, saturos et peccatos. Quæ sane pax et quies haberi in terris nequit, ubi omnes famelici, sitibundi et inquieti vivunt, quia non inveniunt bonum illud infinitum, cujus sunt capaces, et quo sole saturantur; in cælo tantum inveniunt, ubi per amorem et gaudium Deum avidissime amplectantur, eique, quantum possunt, se exæquant ac coextendunt ut tantum bonum capere possint.

Tertium, est justitia perfecta, quæ se undique circumdatos et amictos vident, quasi veste aurea vel argentea Deo et angelis placita. Justitia originalis subjiciebat quidem partem animæ inferiori superiori, sed quamdiu superior subjecta esset Deo. Unde quasi vestis lanea erat, quæ corrodere a tineâ potuit et vero corrosa est. At justitia beatorum non tantum subjicit menti sensus et passiones, sed etiam mentem Deo, idque nexu insolubili.

Vident ergo vestem suam a tineis, thesaurum a

furibus securum esse, nec ab illa beatitudine ulatenus se excidere posse. Quæ: *Secura mens quasi iuge convivium est, teste Sapiente. Prov. XV.*

Hoc secundum gaudium tangit David in eodem psalmo supra citat. juxta versionem nostram, cum ait: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* q. d. quis habitabit cum sanctis tuis in stabili illa mansione cælestis tabernaculi: ubi quies et pax est, et finitur omnis labor ascensionis? Nos hic velut peregrini nullibi sedem figimus, nulli bono acquiescimus.

III. In memoria, quam tria potissimum miro modo recreant. Primo, Dei perpetua contemplatio et præsentia, cujus beati nunquam possunt oblivisci, aut ab eo divertere, sed ipsi semper in hærent, et in ipso quodammodo absorpti obliviscuntur omnium malorum, quæ tristitiam afferre solent; imo seipsos et alia omnia amittunt, quia ea respectu hujus gaudii et boni pro nihilo ducunt, juxta id Psalm. LXX. *Quoniam non cognovi litteraturam (Sanctus Augustinus legit: Non cognovi negotiationes) introibo in potentias Domini, Domine memorabor justitiæ tuæ solius, quasi diceret: Non curo alia omnia negotia. Quanta delectatio fuit Magdalene sedere ad pedes Christi, videre et audire eum semper? Quam difficile ab eo avulsa fuit? Quanta delectatio fuit S. Scholasticæ loqui de rebus divinis cum Sancto Benedicto fratre suo? Nonne obtinuit a Deo precibus suis pluviam, qua frater a discessu revocaretur ad proseguendum cum fervore dulcissimum colloquium? ut in ejus vita. Et quid erit Deum semper videre, semper audire, semper amplecti?*

Secundo, memoria mirabilium Dei operum, quæ in mundo vel non æstimarunt vel non intellexerunt homines, velut est ratio providentiæ divinæ, quæ omnia in suos fines mirabili sapientia condidit et perduxit.

Hic fortasse est ille: *Fluminis impetus, qui lætificat civitatem Dei, juxta Psalm. XLV.* Quid enim ordo et cursus tot sæculorum nisi flumen indesinenter currens in oceanum, donec ibi dispereat? Multi cursum mundi, modo anfractuosum, modo directum, modo angustum, modo latum, modo inundantem, modo extenuatum mirantur nec intelligunt; multi etiam queruntur, quod multa sæpe detrimenta adfert bonis, multa commoda malis, dum terram bonam a campis justorum ablata ad campos impiorum defert, etc. Sed ibi videbunt sancti, cum hujus cursus rationes in libro divinæ providentiæ legent, quam bene omnia fecerit Deus, indeque summum gaudium in se concipient et Deo laudem canent. Videbunt quam juste et sapienter alios labi passus sit, alios servavit, erexerit, ele-

gerit, alios non itidem; justos tribulari, injustos prosperari passus sit, etc.

Tertio, recordatio beneficiorum, quæ a Deo acceperunt, veluti quod tot modis præventi sint in benedictionibus dulcedinis, tot vicibus et modis erepti a periculis corporalibus, et spiritualibus, maxime peccati lethalis, et gehennæ: tot rationibus et mediis ad virtutem instigati et compulsi. Quanta illis voluptas erit, cum salva navi integris mercibus in tutissimum jam portum appulsi, oculis suis lustrabunt longam et periculosam suam navigationem? Cum recolent tempestates, quibus paulo ante huc illucque jactabantur: angustias viarum, quas superarunt: pericula, quæ evaserunt, et in quibus alii innumeri misere perierunt? Tunc incipient canere cum Davide: *Misericordias Domini in æternum cantabo*: quo cantico ait Sanctus Augustinus, lib. XXII. de civit. c. XXX. nihil fore jucundius illi civitati.

IV. Oculorum quod provenit.

Primo, et primario ex aspectu Christi, cujus unius decor et pulchritudo multo major est omni omnium sanctorum gloria, quam sit fulgor solis cum stellis comparatus. Nihil ad illius gloriam, gloria Salomonis, tametsi illius vultum omnis terra desiderabat, et regina Saba tanto itinere quæsitum venerit, quæ ut eum vidit: *Non habebat ultra spiritum, quia: Ecce plus quam Salomon hic.* Ille servus, hic Dominus. Augebitur mirifice gaudium hoc beatorum quod Christus, cæli monarcha, ipsorum frater caro et sanguis sit.

Si enim exultant homines et diem festum agunt, cum affinem aliquem suum renuntiatum audiunt cardinalem aut pontificem: si Josephi fratres gaudio utique maximo cum terrore mixto perfusi sunt, cum viderent fratrem suum esse principem Ægypti, seque propter illum ab Ægyptiis celi; quam voluptatem capient sancti, cum videbunt Christum Dominum et germanum suum dominari cælo et terræ? Quam libenter homines inter angelos erunt, cum totius familiæ patrem cælestis aulæ principem videbunt non angelum, sed hominem sui similem esse? Hujus gaudii spes consolabatur Sanctum Job in maximis suis tribulationibus, quod videlicet redemptorem suum visurus esset in carne sua, Job XIX.

Secundo, ex conspectu angelorum, beatorum et sui ipsorum.

In primis enim valde probabile est, angelos a cælo assumpturos corpora speciosa ex æthere quibus pascant oculos beatorum, ut ab eis videri et cum eis loqui possint.

Hoc enim videtur postulare amicitia, unio et communicatio angelorum cum beatis, quia alioqui nullum ex illis caperent gaudium, quos ta-

men in vita imitari et colere studuerunt. Quam sententiam docet Sanctus Anselmus, in elucidario; Joan. de Salas, in I. II. q. V. a. V. Jam vel unius angeli pulchritudo superat omnem mundi decorem.

Architectus quidam Ersodæ, dum ibidem erigere Carthusiam aggredere, angelum specie juvenis conspicatus est tanta elegantia et pulchritudine, ut diceret se alterius oculi jacturam libenter facturum, si eum iterato semel dumtaxat conspicari posset. Refert Nic. Serasius, lib. rerum Mogunt. libro V. in Joan. I.

Quid igitur erit videre angelos innumerabiles forma et decore, imo specie (ut vult D. Thomas Aquinas) differentes? Quod attinet ad beatos: *Fulgurunt sicut sol in regno Patris eorum*, ait Dominus, Matth. XIII. Verum magna cum varietate et differentia qualis cernitur inter stellas. Ac licet eorum corpora tota luminosa et transparentia sint futura: erunt nihilominus pulcherrime colorata et variegata ad instar vitri picti, lampyridum et noctilucarum, (quæ interdum coloratæ, noctu ut margaritæ lucent) pro merito cujusque. Neque fulgor ille impediens aciem oculorum, qui impassibiles erunt.

Quid erit autem videre seipsum sole clariorum configuratum Christo, singulis in membris, pro ut ea meruerunt, singulos ornatus preferentem?

Docet enim S. Augustinus, libro XXII. de civit. cap. XX. ss. martyres in ea corporis parte, in qua supplicia pertulerunt, signa virtutis pulcherrima et venustissima prælaturos. Stephanus ergo coruscabit gemmis, Bartholomæus purpura, Petrus annulis aureis, Joannes Baptista, Jacobus, Paulus et cæteri decollati torque aureo, alii aliis ornamentis insignes.

Tertio, ex aspectu cæli empyrei, auro, gemmis, floribus omnique decore instructi. Talia enim sensuum oblectamenta, tametsi nobilioris ordinis in cælo esse docent passim historiæ SS. Agathæ, Dignæ, Dorotheæ, Agnetis et aliorum ss. Taceo cælum novum et terram, quam Scriptura promittit post judicii diem; quæ ut nobis incognita sunt, ita novo et miro gaudio, beatorum oculos recreabunt.

V. Aurium, quod profluit primo, ex concentu musico sanctorum angelorum in omni instrumentorum genere longe peritissimorum, qui omnes adhibebunt nervos ut Deum summe laudent; quæ angelorum cantica notantur in sacris litteris, Tob. III. Apoc. XIX. ubi partim vocibus, partim citharis cantare auditi sunt *Alleluia*.

Certe Sanctus Franciscus, ut scribit S. Bonaventura, cap. V. vitæ, audivit aliquando citharam unico tactu ab angelo pulsari, unde tantam

percepit suavitatem, ut crederet se hoc sæculum cum altero permutasse, diceretque postea: *In veritate si angelus, qui mihi apparuit alia vice, plectum super citharam duxisset, anima mea a corpore migrasset*. Scribit etiam Cæsarius, de Wilhelmo duce Juliacensi, mala alioquin vitæ, lib. XII. c. V. quod aliquando festo nativitatis Domini sub tribus missis tantam audierit angeli cantus suavitatem, ut paratum se diceret omnia relinquere, si vel semel adhuc eum audire posset.

Secundo, ex beatorum commendatione et laude quam tribuet illis Christus, angelus custos, aliique sancti, maxime ii, de quibus bene meriti sunt. Scimus dixisse Dominum: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo*, Matthæi X. *Et coram angelis Dei*, Lucæ XII.

Quantum illos occupabit gaudium, cum vel angelus custos, vel etiam ipse Christus eos commendabit coram Deo et sanctis omnibus, cum proferet in publicum bona eorum opera, virtutes et martyria. Scribit Sanctus Lucas, Actor. IX. quod cum sancta illa eleemosynaria Tabitha obiisset, omnes viduæ et pauperes circumsteterint Divum Petrum flentes et ostendentes ei tunicas et vestes, quas fecerat eis Tabitha. Quo spectaculo motus S. Petrus oravit pro ea Dominum et obtulit ei vitam postillimino restitutam. Quid gaudii capient beati cum Christus et alii sancti coram Deo et angelis prædicabunt illorum opera, veluti id Sancti Martini: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit*. Ibi, ibi sentient pretium virtutis, dignitatem et excellentiam. Nec improbable ss. angelos decantaturos esse triumphos beatorum, siquidem iis morientibus sæpe auditi accinere, uti S. Martino, S. Servolo, aliisque plurimis.

Tertio, ex eorumdem colloquio et conversatione jucundissima, quam instituent de Deo et mysteriis divinis de gestis omnium temporum et quæ cuique memoranda contigerunt, etc. Magna delectatio est adesse magnatum et sapientum consiliis, discursibus, colloquiis, recreationibus; quid erit adesse colloquio, tot millium angelorum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum omnique generis hominum, quorum vel unus sua conversatione recreare mundum posset? Colloquio, inquam, sapientissimo, sincerissimo, familiarissimo.

VI. Cæterorum sensuum, odoratus, gustus, tactus. Tametsi enim de his pauca legimus in Scriptura sacra, non carebunt tamen et ipsis suis oblectamentis. Nam quod attinet ad olfactum, perfundentur absque dubio fragrantissimis odoribus, siquidem plurimorum corpora etiam post

CONCIO IV.

DE GLORIA SANCTORUM QUAM IN TERRIS HABENT.

I. In hac vita glorificati: 1. Præsagiis divinis. 2. Mire sustentati. 3. A magnatibus honorati. 4. Ad honores quæsiti. 5. Gloriæ dotibus decorati.— II. In morte: 1. Tormentis servari. 2. Gloriose mortui. 3. Corpora eorum servata. 4. Honorifice sepulti.— III. Post mortem: 1. Clarent miraculis. 2. Reliquiæ eorum servantur. 3. Templâ eis extracta. 4. Festi dies dicati. 5. Canonizati.

THEMA.

Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Matth. V.

Prospero eventu servus Abrahamæ Eliezer invenit sponsam filio ejus Isaac, ut legimus Genesis XXIV. Accepit enim secum ex opibus domini sui, ut fidem puellæ faceret, cumque Dei ductu Rebecca offendisset, protulit armillas et inaures aureas magni ponderis, vasa item aurea et argentea et vestes; quas ut ei donavit, facile etiam persuasit ut Isaaco se desponderet.

Quemadmodum Abrahamæ Isaac, ita quæsivit etiam Deus Filio suo Christo sponsam, quæ est Ecclesia et fideles omnes. Misi ergo concionatores et mittit etiam nunc ut exponant hominibus divitias suas cælestes, quas omnes dederit Filio.

Atque ut his fidem habeant homines, ostendit eis jussit gloriam et honorem, quibus sanctos suos in hac vita condecoravit: ut ita ex terrena et præsentis vitæ arrha colligere queant cælestis dotis amplitudinem. Illam igitur arrham vobis nunc ostendam, ut in Christi nuptias et vos consentiatis.

I. Glorificati sunt in vita, ac primo, præsagiis futuræ eorum sanctitatis, quibus jam hominum oculos ad se rapuerunt antequam nascerentur vel fari inciperent. Sancti Dominici mater antequam filium eniteretur, visa sibi in sommo eniti catulum ore facem gestantem et orbem inflammentem. Qua re denotabatur futurum, ut aliquando Dominicus orbem illuminaret doctrinis et accenderet virtutum exemplis.

In Sancti Ambrosii infantis ore examen apum consedisce scribitur in ejus vita: ad futuram ejus eloquentiam prænuntiandam. Sanctus Thomas Aquinas infans cum plorabat, nulla alia re, nisi libri exhibitione sedari poterat, quem magna curiositate volvebat et retinebat, ad doctrinæ ejus divinæ præsagium.

De eodem adhuc puero præsagii magister ejus Albertus Mag. bovem hunc (sic enim a condiscipulis vocabatur ob silentium ejus) tantum

mortem et in sepulcris tales ex se spirabant, uti S. Hilarionis post decem menses a sepultura, ut in ejus vita scribit S. Hieronymus; S. Servuli paralytici usque ad sepulturam, apud S. Gregorium, I. IV. dial. cap. XIV. Fragrantissimum etiam odorem de cælo secum detulit Christus ad Tarsillam virginem, apud eundem, lib. IV. dial. cap. XVI. Et quis dubitat, quin unguentum hoc a capite Christo descendat, non solum in barbam, hoc est, apostolos, sed usque ad oram vestimenti ejus, id est, ad infimum etiam beatum?

Habet etiam gustus suum, non qualem nos habemus, sed longe excellentiorem cibum et potum qualis scilicet statum illum felicissimum decet, veluti manna quoddam mirificum et absconditum, Apocal. II. quod omnis saporis delectamentum habet. Neque enim frustra de beatis canit David, Psal. XXV. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Nec vane dixit Christus, eos secum manducaturos, et bibituros in regno suo, Luc. XXII. Tactus quoque recreabitur. Considera enim perpetuum illum et integerrimam valetudinem, et quæ ad tactum etiam pertinere videntur, dotes agilitatis et subtilitatis, quibus celerrime et sine defatigatione quaquaversum penetrabant, nec egebunt amplius equis, curribus, scipionibus, satellitibus, etc. sed velut scintillæ in arundineto discurrunt.

Hæc sunt, auditores, vera et solida illa gaudia quorum vel unum minimum non permutarent beati cum omnibus mundi gaudiis. Certe S. Augustinus, si quis alius prudens rerum æstimator, de libero arbitrio, lib. III. cap. ult. scripsit: «Tanta est jucunditas lucis æternæ, ut etiam si non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis, et circumfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemneretur; non enim falso ac parvo affectu dictum est: Melior est dies una in atris tuis super millia.» Hucusque S. Augustinus. Quid jam nos dicemus? Sane hactenus dicebamus contemnenda esse temporalia, quia momentanea sunt, amanda vero cælestia, quia sempiterna.

Nunc audimus Augustinum doctorem sapientissimum affirmantem, etiamsi terrena essent æterna, et cælestia momentanea, adhuc jure merito anteposenda esse cælestiæ terrenis. Nonne igitur surdi et cæci et stupidi et stulti sumus, si propter terrena gaudia non solum vilia et puerilia, sed etiam caduca et brevia, contemnimus cælestia, solida et sempiterna? Sana igitur, o Domine Deus, cæcitate nostram.

VI. PARS FESTIVALIS.

aliquando mugitum editurum, ut in toto exaudiat orbe.

Similiter Sanctus Nicolaus ab infantia mirabilis et sanctus haberi cepit, quod singulis feriis quartis et sextis lac semel in die tantum sumere soleret: mater Sancti Columbanus gravis vidit in sinu suo rutilantem solem per somnium procedere et mundo lumen præbere, etc.

Secundo, mirabiliter et gloriose a Deo sustentati sunt: Elias pastus a corvis: similiter S. Paulus eremita a corvo, qui quotidie ei attulit unum panem, et cum aliquando eum invisisset S. Antonius duplicavit eis annonam, ut ait S. Hieronymus, in vita S. Pauli: S. Basilio item in specu degenti aves pabulum attulere: S. Ægyptius multo tempore cervæ, statis temporibus ad se venientis, lacte nutritus est.

Ita et in periculis mirabiliter servati. S. Maurus ex obedientia fratrem ex aquis erepturus currit super aquas ut olim Petrus: apostolus serpentem manum implicantem sine læsione in ignem excussit, stupentibus omnibus, qui aderant: S. Benedictus poculum venenatum sibi clam propinatum signo crucis fregit, uti S. Joannes apostolus sine læsione bibit: Malchus monachus herum gentilem fugiens et in antrum se recipiens, a læna eum cum sociis dispersit, moxque Malcho locum cedens cum catulis discessit, S. Hier. in vita Malchi.

Similiter, injurias sanctis hic allatas gravissime ultus est Deus, ad sanctorum mirificam gloriam. De iis enim dixit Zachar. II. Deus: *Quis tangit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Ita puellæ lavantes pannos alius succinctæ et Sanctum Jacobum episcopum Nisibenum prætereuntem non reverentes, sed impudentius intuentes, per execrationem omnes canæ factæ sunt et rugas instar anuum contraxere, aqua etiam ex fonte evanescente, refert Niceph. lib. XV. capite XXII.

Tertio, a magnatibus et regibus hic in honore habiti, et sæpe tamquam dii habiti. Ita Act. XIV. Paulus et Barnabas a Lycaonibus pro diis habiti, dicentibus: *Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos: reges ad eorum conspectum et notitiam habendam profecti, ut Totilas ad S. Benedictum: Constantinus Magnus ejusque filii per litteras ad eremum missas S. Antonii amicitiam et familiaritatem ambiebant ejusque preces expectabant.*

Maximus imperator honori sibi ducebat, si Sanctus Martinus cum eo prandens, primum ei poculum propinaret: Augusta quoque piissima velut Magdalena ad ejus pedes assidue jacens vix tandem impetravit ab eo, ut ei præberet sola convivium; quod ipsa suis manibus paraverat et

ancillæ instar aquam manibus dabat, fercula afferebat et mensæ serviebat, Baron. anno 386. Constantinus Magnus dextros oculos episcoporum, pro pietate, effossos a persecutoribus, osculabatur, pro certo persuasus osculo se benedictionem inde hausturum, ut ait Theodoretus, apud Baronium, anno 325. Valentinianus imperator, cum aliquando S. Martino ad se ingredienti assurgere dedignaretur, coactus est ei assurgere, exorto repente subter ejus sedem igne sessorem violenter excutiente, Baron. anno 375. alii item reges et imperatores nolentes volentes metuere et revereri coguntur viros sanctos, Baptistam Herodes, Ambrosium Theodosius, Leonem papam et Lupum episcopum Trecentem Attila. Ut merito de illis etiam dixisse videatur Deus, quod dixit Moysi, Exod. VII. *Ego constitui te deum Pharaonis.*

Quarto, ad honores et dignitates quæsi, postulati et mirabiliter evecti maxima ipsorum gloria, fugientes insequente. Ita de Sancto Hilario abate refert S. Hieronymus, eum adeo expeditum ad honores, ut magnam vitæ suæ partem gloriam fugiendo consumpserit. Similiter Sanctus Thomas Aquinas, Sanctus Bernardus, Sanctus Bernardinus Sennensis, alii innumeri. Alii ad dignitates et episcopatus mirabili eorum gloria evecti. S. Ambrosius Mediolanum ad componendas lites et eligendum episcopum missus, ipsemet a puero innocente episcopum assumendus in ecclesia proclamatur et eligitur: Sanctus Alexander cognomento *Carbonarius*, cum vitandi honoris et sæcularium illecebrarum gratia, vir alioqui doctus, carbonarium sectatus esset, repente Dei ordinatione producitur a Sancto Gregorio Thaumaturgo et in episcopum Comanen eligitur (ex Gregorio Nysseno, in vita Sancti Gregorii Thaumaturgi), maxime omnium stupore et Alexandri gloria, qui rudis et inglorius videbatur.

Similiter Sanctus Severus officio textor (ut est in Surio, 1. febr.) Ravennas. Cum enim Ravenna de episcopo eligendo consultaret in ecclesia, Severus vir simplex et sanctus ab uxore, cum qua caste vixerat, licentiam petit, adeundi ecclesiam ut videret quis in episcopum eligeretur: at uxor manendum suadet domi et laborandum, siquidem ipse non esset futurus episcopus.

Vir tamen ire gestiens ab uxore dimittitur cum sarcasmo, abeat nimirum, nam simul ac ecclesiam intraverit, episcopum fore. Igitur in angulo ecclesiæ sordidus spectavit Dei eventum. Interim columba candida in caput ejus devolat desideratque, quam ille abegit: sed columba iterum et tertio in ejus verticem se demittit. Unde communi omnium sententia, quasi a Deo designatus, protractus, et in episcopum electus est.

Quinto, corporis gloriosi dotibus sæpe affecti, et miraculorum immensa gloria. Fulgore faciei radiabant alii ut Sanctus Ignatius Loiola: alii agilitate mira subito, ubi volebant, aderant, ut Sanctus Franciscus: alii mira subtilitate clausis ingressi januis, ut Sanctus Dominicus: alii ab igne illasi, ut Sancta Cunegunda, etc. alii plurimi splendore cœlitus perfusi, ut Agnes, Eugenia, Martina, quadraginta martyres, etc. aliis stigmata Christi impressa divinitus, ut S. Franciscus, S. Catharinæ Sennensi, etc. aliis quam plurimis bestiæ ad nutum paruerunt; leo S. Gerasimo abbati ob spinam e pede extractam, servit ad monasterium pro asino, aquam afferens; ursus S. Florentii oves custodit uti pastor; ursus Sancto Corbiniano, eo quod ejus asinum sarcinas viri portantem in itinere Romano devoravit, in pœnam ipse sancto fere cogitur sarcinas; onager a Sancto Heleno fesso itinere advocatus, adest, suscipit sanctum et sarcinas ejus portat; draco ingens jussus a Sancto Hilario conscendere rogum ad combustionem, paret et comburitur; Sanctus Germanus episcopus Altiriodorensis, asino suo defuncto ait: *Surge, revertamur ad hospitium*, resurrexit asinus redivivus; serpentes custodiunt hortum et cellam monachorum, apud Gregorium, lib. III. dial. cap. XVI. et lib. I. cap. III. Sanctus Pacomius crocodilorum opera usus est ad trajiciendos fluvios; aves volarunt ad manus Sancti Francisci, cantantes et tacentes cum volebat; pisces vocati a Sancto Antonio Patavino ad littus fluvii Arimini quasi auscultantes, ranæ increpatae a SS. Bennone et Audoen tacuerunt; Sanctus Hilario signo crucis excludit mare; Sanctus Gregorius Thaumaturgus Lycum baculo defixo; Sanctus Quirinus Danubium; mons cedit ad orationem Gregori Thaumaturgi.

Item aliis serviebant quævis creaturæ ad quidvis: sinapi et alia ad sanandos male affectos aliorum oculos; Simoni Salo vasa lignea ad coctionem pro œneis vel fictilibus; anachoretis apud Gregorium Turonensem, in gloria confess. cap. XCIII. aqua in lampadibus ad fovendum lumen deficiente oleo; Constantio illi mansionario ecclesiæ, apud Gregorium, diam. lib. I. cap. V. radii solis pro funiculo; Sancto Lucano episcopo Brixiensi (apud Rader. in Bava. sancta, p. II.) in quibus tunicam nimirum suam suspendit. Nimirum iis, qui Deo serviunt omnes creaturæ serviunt.

II. In morte primo, a gravibus tormentis plurimi servati: leones blanditi: ignes extincti, a quæ extulerunt eos incolumes: acies gladiatorum hebetatae: manus cædentium et ferentium sententiam obriguere: calami atramentum non de-

dere: parietes, templa deorum, idola corruiere: cœli tempestates intonare: alii excisis linguis locuti sine impedimento, ut illi qui sub Hunerico Ariano in Mauritania exsectis linguis ita expedite loquebantur, ut antea, apud Viet. Uticens. libro III. Wandal. et apud nos in Bavaria Sanctus Emeramus episcopus Ratisbonensis, apud Surium, in septemb.

Secundo, gloriose mortui: alii angelis stipatis coronas et lilia porrigentibus, ut S. Petrus apostolus: cœlestibus ad se luminibus delatis, ut S. Medardus episcopus: alii cum cœlesti symphonia, ut S. Martinus: aliorum animæ evolarunt instar flammæ, ut S. Emerami, etc. instar columbæ, ut S. Eulaliæ virginis: alii luce cœlesti circumfusi, ut S. Andreas, Franciscus, etc. Sancti Pauli decollati caput tres saltus cum invocatione nominis Jesu fecit, et tres fontes produxit: S. Dionysius caput suum suscepit et ad duo millia passuum manibus suis gestavit: S. Dominicus visus via pulcherrima ad cœlum ascendere.

Tertio, multorum corpora mirabiliter servata ne læderentur: Sancti Stanislai episcopi ab aquila: Sancti Vincentii martyris a corvo: Sancti Edmundi corpus a lupo: Sancti Anastasii martyris a canibus.

Quarto, honorifice sepulti et ad sepulcrum clari. Sanctus Alexius ab imperatoribus Arcadio et Honorio et Innocentio pontifice: Sanctus Basilius sanctorum humeris elatus est ad sepulturam, uti scribit Gregorius Nazianzenus, orat. XX. in laudem Basili: S. Paula episcoporum manibus, ut Hieronymus, in ejus epitaphio ad Eustach. S. Romualdus abbas ad Sanctum Emeramum Ratisbonæ a Sancto Henrico Germanorum rege et postea imperatore: Ladislaus Hungariæ rex Sancti Gerardi martyris corpus suis humeris transferre voluit, Baronius, anno 1079. Theodoricus Francorum rex corpus Sancti Theodorici abbatis propriis humeris ad sepulcrum evexit, Usuard. in martyrologio II. die julii. Quid? Etiam bestiæ operam suam ad hæc præstiterunt. Sancti Luciani martyris corpus delphinus ex aquis effert, quo sepeliri queat, apud Sur. 7. januarii: leones duo fodiunt sepulcrum Sancto Paulo eremita, apud Hieronymum, in ejus vita: alius item leo Mariæ Ægyptiacæ, apud Sur. 9. april. saxum S. Jacobi apostoli corpus excepit in sepulcrum se formans: S. Clementi martyri in mari sepulcrum mirabiliter præparatum. In aliquorum sepulturis campanæ ultro sine hominum subsidio pulsatae ut cuidam Sancto Peregrino factum Aldemburgi, apud Jacobum Meierum, in hist. Fland. lib. III. S. Bonifacio cum Fuldam transferretur; S. Alberto monte Deprano, etc.

III. Post mortem. Primo, clarent aliqui miraculis continuis, ut S. Januarius martyr Neapoli, cujus sanguis concretus cum in conspectu capitis ejusdem ponitur ebullit: similiter sanguis S. Stephani, ibid. tempore sacræ missæ: oleam de S. Walburgæ corpore per durissimum saxum fluit etiamnum Eystadii, tempore hiemali potissimum: aliis honoribus corpora et sepulera eorum claruerunt: aliorum enim diutissime servata incorrupta, ut S. Ferreoli, S. Huberti episcopi, S. Raynaldi archiepiscopi, S. Claudii, S. Sigeberti regis: aliorum corpora gratissimum spirabant odorem, ut S. Joannis Baptistæ caput, sepulcrum B. Virginis, corpus S. Severini, Marcellini, etc. alia liquorem saluberrimum fundebant, ut corpus B. Walburgæ, etc. unguentum corpus S. Nicolai episcopi: aliorum divisa corpora mirabiliter redintegrata, ut S. Stanislai episcopi, S. Edmundi regis Angliæ, etc. alii in certis necessitatibus prædicatas habent subveniendi prærogativas. Hinc in dolore dentium invocamus S. Apolloniam, cui pro Christo excussi sunt dentes: in peste S. Rochum, cujus insignis charitas in iis qui peste laborabant curandis, tota Italia celebratur: in maristempestate S. Nicolaum, qui vivens eam miraculose sedavit: in vinculis S. Leonardum qui multos victos liberavit: in morbo comitali S. Valentinum, etc.

Secundo, reliquiæ eorum maximo honore asservantur, et innumera mirabiliaque beneficia præstant. S. Antonius gloriabatur magis tunica Pauli eremite ex foliis palmarum ab ipso confecta et sibi relicta, quam purpura regia, eaque non nisi in summis festivitatibus utebatur. Imo ut S. Leo ait, in honores transferuntur triumphi instrumenta supplicii, ut catenæ Petri quæ et honorificentissime asservantur et coluntur, quibusque proprium templum extractum, proprium festum dedicatum est. Certe S. Chrysostomus eas extollit super aurum et topazion. Eadem reliquiæ a Deo illustribus miraculis sæpe patefactæ: a Christianis maxime pretio redemptæ: a regibus miro modo honoratæ: plurimis miraculis decoratæ: et proinde gravissime in contemptoribus vindicatæ.

Tertio, templa eis extracta magna, plurima vota et peregrinationes ad illa a regibus aliisque suscepta, eadem ab illis dotata, ornata, etc. Sanitates ibi recuperatæ: cerei ad eorum sepulcra accenduntur, imagines eorum in templis et privatis ædibus studiose retinentur et ostentantur. In patronos electi a regnis, ducibus, civitatibus, monasteriis, tribubus, congregationibus, etc. Habuere præterea sectatores et æmulatores vite suæ innumeros, plurima monasteria et collegia.

Quarto, testa eis dedicata et feriæ, in iis præclaræ eorum virtutes deprædicantur: ipsi ut patroni urbium et parochiarum honorantur, invocantur.

Quinto, nomina eorum maxima solemnitate et gloria in album sanctorum referuntur et vivunt in sæculum sæculi, bubulcis etiam et pueris nota. Eadem Christianis imponuntur in baptismo, abolitis gentiliis nominibus. Indita eorum nomina civitatibus, ut Sergiopoli a Sergio, Rhemis a Rhemigio, etc. navibus, campanis, cubiculis, infulis.

Quæ cum ita sint, mirum profecto est, quod plerique hominum vanitatem sequuntur et mundum, ibique gloriam consequi sperant, ubi non invenitur: paucissimi vero quærunt ubi invenitur: mira profecto cæcitas. Laborant illi, sudant, vigilant, cogitant quomodo aliquam gloriosam celebritatem nominis acquirant: et venit unus Antonius, unus Franciscus pauperculus sacco vestitus, rudis, simplex, etc. brevi tempore majorem in mundo sibi parit gloriam, quam omnes illi omni suo labore. Quam multi etiam, qui ingentibus technis, periculis, fastidiis, et laboribus ad sceptrum ascenderunt, qui nunc nesciuntur quidem? Et si aliqui illorum adhuc sciuntur, certe respectu sanctorum obscurissimi sunt, nihil sunt. Quot millia sunt hominum, qui nomen Socratis, Platonis, Aristotelis, Alexandri Magni, Julii Cæsaris, nesciunt quidem? At Petros, Paulos, Antonios, Franciscos, etc. pueri norunt, bubulci sciunt. Porrigere horum alicui imaginem Platonis, et nesciet quid sit; porrigere Petri vel Pauli icones, et statim agnoscet. Quod si nos, qui libros terimus, eas reperimus et nominamus, cum quo id honore facimus? Nullo prorsus. At sanctos nostros nonne templis, imaginibus, festis, cantibus omnique celebritate prosequimur? Nimirum qui per opes, divitias, scientias, stemma, favores, gloriam quærunt, hi omnes non super petram sed super arenam ædificant. O quam bene hoc prædixit Dominus, Matth. VII. cum ait, alios esse similes viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram: et descendit pluvia et venerunt flumina et ventus et irruerunt in domum illam et non cecidit, fundata enim erat super petram: alios vero similes vero stulto, qui ædificavit super arenam et descendit pluvia, etc. et cecidit et fuit ruina ejus magna. Itaque gloriæ fundamenta alii in divitiis ponunt et eæ nonne sexcentis modis perduntur? Alii in ædificiis, et quid facilius ruit? Alii in libris, et quid facilius, quam mittere eos in fornacem et comburere? Alii in vestibus, et quid citius inveterascit et contemnitur? Alii in dignitatibus, et quid fragilius, vanius et periculo-

sus? At sancti nostri super petram ædificaverunt in solidis virtutibus, ubi nec fures effodiunt, nec tineæ demoluntur.

Ideirco etiam dicuntur scripta illorum nomina in terris, ubi mox videlicet conculcantur et delentur, Psalm. XLVIII. *Vocaverunt nomina sua in terris suis*: et Jerem. XVII. *Recedentes a te in terra scribentur*, cum contra sanctorum nomina in cælis scripta dicantur. Unde Luc. X. dicitur: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis*.

Hinc Lazari nomen in evangelio exprimit: non item divitis epulonis, etc. quia Sapiens, Sap. X. ait: *Memoria justi cum laudibus, nomen impiorum putrescet*.

CONCIO V.

SANCTI CUR HONORANDI.

I. Ex parte Dei: 1. Quia honorantur a Deo. 2. Quia eorum honor redundat in Deum. — II. Ex parte sanctorum: 1. Quia amici Dei. 2. Quia mites. 3. Quia prius contempti. — III. Ex parte nostra: 1. Quia cedit ad honorem nostrum. 2. Quia cedit ad solatium. 3. Quia cedit ad utilitatem nostram.

THEMA.

Laudate Dominum in sanctis ejus. Psalm. CL.

Sic Deus dilexit sanctos suos, ut vix aliquid in mundo reperire sit, quod ad eorum honorem servire non voverit. Honorarunt eos angeli, qui morientibus assistere visi cum corollis, ut S. Petro; cum canticis ut S. Servulo; qui eos in cælum deducerent, ut Sanctum Martinum episcopum: honoravit cælum, quod se aperuit et aditum venientibus patefecit ad Deum videndum, ut S. Stephano et Sancto Dominico: honoravit sol, qui radios suos pro funiculo aut pertica servire eis fecit ad appendendum pallium, ut Sancto Luciano episcopo Brixienti: honoravit ignis, qui tangere illos timuit, ut S. Polycarpum et S. Cunegundam: honoravit aer, qui cælesti lumine eos circumfudit, ut Sanctum Andream in cruce pendentem: honoravit aqua quæ, vel mergere eos noluit, ut martyres quam plurimos; vel calcabilem se iis præbuit ut S. Mauro; vel in eorum gratiam abscessit ut S. Clementi: honoravit terra, quæ ob eorum merita a loco suo naturali dimota est, ut Sanctum Gregorium Thaumaturgum; vel aquæ fontem protulit, ut Sanctum Wolfgangum: honoravit pluvia, ut Sanctum Bernardum, quæ epistolam ejus sub dio dictatam nullatenus madefecit: honorarunt volucres, ut Sanctum Franciscum, in cujus manus devolarunt

et cum voluit cecinerunt: honorarunt quadrupedia, ut leones Sanctum Paulum eremitam, cum sepulcrum ei foderunt: honorarunt pisces, ut Sanctum Antonium de Padua, cum ad littus adnatarunt quasi ejus sermonem audituri: denique, ut alia præteream, honorarunt mortui, ut Sanctum Joannem eleemosynarium, cui duorum episcoporum corpora cesserunt in sepulcro. Et hæc sufficere possent ad persuadendum nobis sanctorum cultum et venerationem, quam tamen illis adimunt hæretici nostri temporis. Nimirum uti omnia elementa servitio suo testata sunt Christum venisse in mundum, sola Judæorum corda agnoscere noluerunt: ita soli hæretici sanctis honorem negant. Nos vero, auditores, cum unanimi totius universi voce veneremur sanctos, hodierno præsertim die: quod ut ferventius fiat, causas videamus.

I. Est ex parte Dei, cujus sunt amici. Nam primo, illos honorat Deus eorumque honorem tuetur. Audi Christum, Luc. XII. *Beati sunt servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod præcinget se et faciet illos discumbere et transiens ministravit illis*: et Apoc. III. *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo*.

Et certo si adeo honorat illos in terris, ubi non sunt; quantopere honorabit eos in cælis, ubi sunt? Si tanta miraculorum gloria honorat eorum corpora, quam gloriam animabus tribuet? Scimus enim ita honorasse Sanctum Petrum, ut umbra illius sanaret ægros, Actor. V. Sanctum Paulum, ut fundaria ejus et semicinctia idem præstarent, Act. XIX. Sanctum Eduardum Angliæ regem, ut aqua, in qua manus abluerat, cæcis visum redderet, Lud. Granat. in catech. libro II. capite XXVII.

Sanctum Stephanum martyrem, ut flores de illius altari et reliquiis sublatis et sub cervicali hominis increduli, cui nomen Martialis, de civitate Calamæ positi, mentem illius imitarent, ita ut mane evigilans mox accersere sacerdotem, et Christianus fieret, ut scribit Sanctus Augustinus, libro XXII. de civit. uti et de cæca muliere, quæ ubi flores, qui tetigerant Sancti Stephani reliquias, oculis admovit, protinus vidit: Sanctum Januarium martyrem, ut quoties ejus sanguis concretus statuitur juxta ejusdem caput, liquefieri in ampulla et ebullire incipiat, ut norunt Neapolitani: Sanctum Paulum, in terra, in quam excussit serpentem, ex eo vim obtineret contra venena, ut norunt Melitenses.

Nec miuus eorum honorem tuetur contra eorumdem obtrectatores.

Id enim pro eos Zachariæ, capite II. testatur,